

11 Copia di la letera presentò li 12 oratori di Cremona
a la Signoria nostra, quando prima veneno.

Serenissime princeps et excellentissime domine. Deliberavimus jamdudum, facta civitatis hujus ditione in vestram serenissimam Venetiarum Dominationem, oratores nostros isthuc mittere, qui res nostras huiusque communis vestræ cum illa serenissima Dominatione componerent, et omnimodam reverentiam, fidem, devotionem et obedientiam pollicerentur, præstarent et exhiberent. Sed dictim (*sic*), supervenientibus negotiorum agminibus, ob ejusmodi rei novitatem, quibus intendere necessarium fuit, eos in hunc usque diem mittere distulimus. Nunc vero, ad ea quæ pro beneficio civitatis et populi ordinanda accomodataque supersunt, aliquo modo consulte adhibito, statuendum duximus eosdem debere iter arripere; et ita crastina die jussi, magnifici doctores, equites et cives, videlicet domini Baptista Malumbra, legum doctor, Jacobus de Trechis, comes, Alfonsus de Persico, equites, Franciscus Benzonius, legum doctor, Nicolaus de Dovaria, miles, Petrus Martyr de Ferrariis, legum doctor, Johannes Franciscus Marianus, Thomas de Gallerate, Elisaeus Raymundus, Ludovicus de Sfondratis, Benedictus de la Faytate et Gabriel de Maynoldis, omnes nobiles cives cremonenses, et cum eis nobilis Sebastianus Cyria, cancellarius ad id deputatus, quos consilium nostrum generale in suos syndicos, legatos, mandatarios et procuratores cum pleno mandato delegit, in Dei nomine et beati evangelistæ sancti Marci iter suum incipient, ut Venetas ad excellentiam vestram et illud vestrum serenissimum Dominium proficiantur, et ibi munus sibi commissum et impositum, juxta mandatum, cum dexteritate et totius illius Dominationis amore et benevolentia consummare procurent, vice et nomine hujus communis et populi, fideliter et legaliter, more bonorum civium et legatorum. Precamur igitur prælibatam sublimitatem vestram, totamque illam serenissimam Dominationem, ut ipsos oratores et mandatarios nostros libenter audire, et precibus ac petitionibus nostris, quæ honestatem præseferunt, benignas aures accommodare dignentur, et ad gratiam exauditionis admittere, nosque omnes, tamquam filios adoptivos carissimos et fideles, in suum et ergastulo (*sic*) mentis vestræ serenissimæ Dominationis, veluti cives venetos acceptare, collocare, protegere et fovere non renuant; ac novellam pulchramque sponsam, per nos eisdem libentissime traditam, dulcis charitatis ardore complectere, diligere et, in cunctis occurrentibus, bene tractare summo cum studio placeat. Cæterum est, ut in omnibus iis, quæ præfati oratores et mandatarii nostri præfatae serenissimæ Dominationi vestræ nomine nostro exponent, petierint et requirent, credentiam plenam et omnimodam fidem, eeu nobis, adhibere dignentur. Quibus hanc civitatem totumque hunc populum sedulo commendamus.

Data Cremonæ, die V octobris 1499.

Serenissimæ et excellentissimæ Dominationis vestræ fidelissimi servidores et subditi, consiliarii consilii generalis civitatis Cremonæ, et totus populus ejusdem, cum recommendatione.

A tergo: Serenissimo principi et excellentissimo domino, domino Augustino Barbadico, Dei gratia Venetiarum duci, domino nostro singularissimo.

Marcellus Philoxenius Nicolao Mocenico
salutem dicit.

11

Mirabere forsitan, Nicolai mi carissime, quum hactenus nil unquam litterarum ad te dederim, hoc munus me in presentia aggredi novum scribendi... impetum attulit (accidente tamen veteri inextricabilique mutuae amicitiae nexu); quod autem sit illud, accipe. Quum me nuper Bononiam receperisse, hominem in ea nactus sum, cui spiritus quidam, uti ajebat, paret, dum id, in fidem veri alloquendi, copiam fecit. Et id quidem crebro. Ubi vero invisibilem ac sine lingua, sermone communi loquenter, audivi, extemplo obstupui, steteruntque comæ et vox fauibus haesit. Supra omne ostentum hoc mihi visum est, dum ille quod audivi, non oraculi ambage, sed palam, inter caetera, natalis mei diem, quod scire plurimum gestiebam, perspicue enucleavit; et quod Ludovicus Mediolanum recuperabit prædixit, sed post imperium adeptum, brevi hominem exuet; pontificemque anno proximi jubilæi interiturum. Multaque alia id genus cecinit: Virginem proprio corpore in cœlum assumptam, de qua Hieronymus ambigit, camque sine peccato originali ortam. Omnes a fide nostra exotici, vel uno hoc spiritu exploduntur. De his igitur, ut te certiore non redderem mihi temperare nequivi, et vulgares addidi rithmos. Vale.

Pridie Kalendas novembbris, Bononiæ, 1499.

Qualunque adverso al nome christiano,
Sua falsa oppinion dil tutto extingua;
E in questo spirto d'alta fe' se impingua,
Che ogni cor vacillante può far sano.